



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 9. An Pœnitens etiam obligatur Sigillo respectu Confessarii?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

cundum multos obligatur Sigillo: quia peccata in charta scripta ordinantur ad Confessionem Sacramentalem rite perficiendam, idque ut favorabilius Sacramento tenendum est.

Q. 9. *An Pœnitens etiam obligatur Sigillo respectu Confessarii?*

Resp. Neg. Quia obligatio Sigilli est solum in favorem Pœnitentis, ut securè ac confidenter peccata sua & conscientiam aperiat, sicut tenetur secundum institutionem Christi: non autem in favorem Confessarii, qui non tenetur ex institutione Christi peccata sua Pœnitenti aperire; & sic non eget obligatione Sigilli circa ea quæ debet dicere Pœnitenti. Pœnitens tamen habet obligationem secreti naturalis circa ea, quæ revelare nequit sine injusto damno Confessarii, aut contra rationabilem ejus voluntatem. At si Confessor aliquid dixerit, vel fecerit, quod vergat in damnum commune, vel privatum, ut si hæresim doceat, si sollicitet ad turpia, vel si existat aliud grave periculum ruinæ spiritualis sive Confessarii sive alterius; Pœnitens tenetur ex lege charitatis ista denuntiare Prælato, si aliter malum certò impediri nequit. Imò Gregor. XV. Bulla 34. præcipit Pœnitentibus ut denuntient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis Confessarios, qui personas quascumque, *ad inhonestam sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel pretextu Confessionis*
bujus-

hujusmodi, etiam ipsâ Confessione non secutâ, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. Mandatque omnibus Confessariis, ut Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis modo supra dicto sollicitatos, moneant de obligatione eos denuntiandi. Unde ad hoc tenentur omnes, ubi hoc decretum viget; imò & alii, si aliàs isti nefarii Confessarii prævideantur non emendandi: nam tunc lex charitatis erga illos, & alios seducendos obligat ad tale crimen impediendum hac denuntiatione, si non adsit alia via efficax.

APPENDIX.

De Indulgentiis.

Q. I. **Q**uid, & quotuplex est Indulgentia?

R. I. **Q** Indulgentia est remissio pœnæ temporalis peccatis, quoad culpam remissis, debitæ, facta extra Sacramenta, & sacrificium per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum. Fide constat ex Trid. sess. 25. Indulgentiarum usum fidelibus maximè salutarem esse, easque concedendi potestatem in Ecclesia extare.

Resp. II. Indulgentia alia est totalis, seu plenaria,